

strare ac deducere opus videatur. Interim commodo discentium, de eadem, aliquid dicemus. *Cathedra* composita est, ex *κατὰ* & *ἔδρα* *sella* vel *sedes*, cujus radix est *ἕζω* *sedere facio*, & inde *ἕζομαι* *sedeo*, ut recte affirmavit, B. D. NEVMANNVS, in disputatione, *de audiendis doctoribus, etiam hypocritis*. §. 6. Notat ista generatim, aliquam sedem, in qua docetur, ob consuetudinem ritumque docentium, qui e *Cathedra* sublimiore suos discipulos, a priscis sane temporibus, informaverunt ac instituerunt; id quod ex ipso Nehemia, satis clare patescit. Conf. cap. viii, 4. Luc. vi, 20. Loca quidem, in quibus olim conciones haberi, moris erat (loquimur cum B. SCHVRTZFLEISCHIO, ex eius Collegio Histor. Ecclesiae genuino in posterum forte edendo,) diversa extiterunt & saepe, ex occasione delecta sunt, in foro, in aedibus privatis, in lectis, in monte, in eremo, in navi, & ubicunque tandem concionandi opportunitas, extra ordinem obveniebat. Sed communis atque ordinarius concionum locus fuit, intra urbem sanctam in templo, & extra urbem in Synagogis, ubi cœtus conventusque sacri instituebantur. Postea suggestus lignei, & *Cathedrae* Episcoporum cœperunt, haud incelebres, de qui conferri meretur Dn. JOSVA ARNDIVS, in Lexico Antiquit. p. 1098. Atque inter has celebris maxime fuit *Antiochena*, ex qua docuit & concionatus est JACOBVS JUSTVS, apud Euseb. Histor. Eccles. libr. vii, cap. 19. Nihilo tamen obscurior fuit *Cathedra Alexandrina*, quam Marcus illustrasse dicitur, ubi & suggestus ligneus fuit. Et Romae etiamnum ostenditur *Cathedra lignea*, in qua Petrum concionatum referunt, de qua postea. Jam scire expedit, quod docentes in *Cathedris* interdum steterint, quandoque vero sederint. Scilicet, (inquit BEATVS NEVMANNVS,) quando ipsum textum sacrum Mosaicum vel propheticum (loquitur de consuetudine priscorum,) praelegebant, consistebant; ubi vero explicationem illius subiiciebant, confidebant. Disp. cit. §. 6. Ex hoc more & fonte, enata est varia vocis acceptio. Hinc apud scriptores cum sacros, tum prophanos, *Cathedra* significat a) *physice*, sellam aliquam ligneam, erectam in qua docentes, vel stare vel sedere consueverunt, b) *metonymice*, officium & potestatem in Ecclesia publice docendi. Conf. B. D. GLASSII, Philo-